

custodiam ualli stationesque, donec per omnes suffragium
iret, ad L. Marcium cuncti summam imperii detulerint.
Omne inde tempus—exiguum id fuit—muniendis castris 7
conuehendisque com meatibus consumpsit, et omnia imperia
milites cum impigre, tum haudquaquam abiecto animo
exsequebantur. Ceterum postquam Hasdrubalem Gisgonis 8
uenientem ad reliquias belli delendas transisse Hiberum et
adpropinquare adlatum est signumque pugnae propositum
ab nouo duce milites uiderunt, recordati quos paulo ante 9
imperatores habuissent quibusque et ducibus et copiis freti
prodire in pugnam soliti essent, flere omnes repente et
offensare capita et alii manus ad caelum tendere deos incu-
santes, alii strati humi suum quisque nominatim ducem
implorare. Neque sedari lamentatio poterat excitantibus 10
centurionibus manipulares et ipso mulcente et increpante
Marcio, quod in muliebres et inutiles se proiecissent fletus
potius quam ad tutandos semet ipsos et rem publicam secum
acuerent animos et ne inultos imperatores suos iacere
sinerent; cum subito clamor tubarumque sonus—iam enim 11
prope uallum hostes erant—exauditur. Inde uerso repente
in iram luctu discurrunt ad arma ac uelut accensi rabie dis-
currunt ad portas et in hostem neglegenter atque incompo-
site uenientem incurrunt. Extemplo improuisa res pauorem 12
incutit Poenis mirabundique unde tot hostes subito exorti
prope deleto exercitu forent, unde tanta audacia, tanta